



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio CXXIX. Argumentum. Proponitur, quot, & quibus rationibus debeat Parochus personaliter assistere agonizantibus, & moribundis suæ Parochiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

Officium c. Cum secundum Apostolum. de Praben. & c. fu. de Rescript. in 6.

6 Sexta. Quia ad implendum debitum Residentiæ non sufficit materialiter residere in Parochia, sed opus est, munia Parochialia personaliter administrare. Barbosa de Offic. & pot. Parochi cap. 8. num. 40. ubi DD.

7 Septima. Ratione Naturali, nam idem est Parochum non habere, ac non operantem habere, cap. Inter corporalia. de Transl. Episc.

8 Octava. Respectu necessitatum populi, quibus melius providet Parochus, quam Capellarius, & ideo Parochus vocatur Pastor, Dux, Medicus, quia hi omnes personaliter operari tenentur, cap. Quamvis, de Reg. Jur. l. Qui mercedem, ff. Locat. Navar. in cap. Placuit, de Penit. dist. 6. a num. 151.

9 Nona. Respectu Utilitatis ipsius Parochi; quia quanto difficilius operatur cum charitate, tanto magis meretur. S. Thom. 2. 2. quæst. 27. art. 8. ad 3.

Decima. Respectu communis opinionis Doctorum, quos cumulat Joan. Sancijs disput. 47. quam legisse Parochos omnes juvabit, ut sciant, per se ipsos, non autem per substitutos Curam animarum exercendam esse, ac Sanctissima Sacramenta administranda.

DECISIO CXXVIII.

ARGUMENTUM.

Referuntur rationes omnes, quibus demonstratur obligatio genitorum, ne permittant pueros & puellas quinquennio completo dormire simul.

SUMMARIUM.

1. Pueri & Puella, quinquennio completo, ne dormiant simul.
2. Impuberes carnalia peccata committere possunt.
3. Puer octo annorum lapsus in carnem cum sorore.
4. Genitores non sinant filios utriusque sexus simul dormire.

DE hoc dictum fuit, quod omnium rationum Ratio summa sit periculum impudiciæ, & lapsus in peccata carnis eorundem puerorum, & puellarum; siquidem, ut testatur Scriptura Sacra; Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. Genes. 8. 21. Et licet adhuc sint in tenera ætate, & inhonestatis non capaces; tamen vel ex diaboli suggestione, vel ex fomite naturæ, vel ex verbis aut actionibus majorum edificare possunt opera carnis, & vel tactibus, vel aliis indignis conatibus Deum offendere; cum in aliquibus adeo præcox sit libido, & præceps lascivia, ut nulla ætacula Veneris lucta immatura videatur, ad tradita per Balthasarem Bonifacium in sua ludicra Histor. lib. 2. cap. 18. & 19. ubi plura exempla puerorum luxuriosorum.

Quodcirca optime Marchantius in Horro Pastor. lib. 3. tract. 4. Lect. 10. proposuit. prima pag. mihi 361. ita scribit: Quapropter serio monendi sunt parentes, ut diligenter caveant, ne personas consanguineas, in eorum domo cohabitantes, in eodem cubiculo, aut lecto, etiam impuberes dormire sinant: quia, licet impuberes sint ad carnalis commixtionis consummationem, tamen instinctu Diaboli, sæpe libidinosi actus inter eos exercentur, quos spiritus luxuria suggerendo etiam inficit parvulos. Nec dubium est, quin in ætate septem, octo, vel novem annorum, peccati mortalis reatus incur-

ri possit, cuius ob pudorem frequenter nulla sit in Confessione mentio; & ideo vulneratam conscientiam plerique in multam ætatem protrahunt, cum æterna salutis dispendio.

Et paulo post subdit revelationem quandam à Deipara factam his verbis: Hodie etiam puer submergetur, & damnabitur in Hispania, qui annorum octo existens, cum sorore sua fornicatus est, qui etsi opus non compleverit, tamen inchoavit.

Ex quibus Parochi, & Confessarii magnopere monitos facient Patres, & Matres, ne simul accubare sinant filios, & filias, etsi impuberes; quia luxuria ignis est; Omnis autem caro sanum Ita. 4. 6. & à scintilla una augetur ignis. Eccles. 11. 34.

DECISIO CXXIX.

ARGUMENTUM.

Proponitur, quot, & quibus rationibus debeat Parochus personaliter assistere agonizantibus, & moribundis suæ Parochiæ?

SUMMARIUM.

1. Diabolus an visibilis appareat omnibus morientibus?
2. Satanas timet præsentiam Sacerdotum.
3. Monialis Capuccina agonizantis terror ob visum diabolum.
4. Tentationes diaboli in articulo mortis.
5. Rituale Romanum præcipit Parochis, ut assistant morientibus.
6. Deipara, ac Angeli assistentes morituris.
7. Pastor animarum de eis rationem redditurus Deo.
8. Amor Parochianorum erga Parochos assistentes agonizantibus.

PRIMA, ac principalis recensita Ratio fuit, ob nimium terrorem, & gravissimam animæ agitationem, in qua agonizantes reperiuntur terribi Diaboli apparitione. Siquidem à pluribus Parochis relata fuit quæstio illa, Utrum cuilibet morienti semper Dæmones appareant? quam examinavit F. Bart. Sybilla in Speculo Peregrinar. Quæst. Decad. 3. cap. 10. quæst. 6. & Joan. Bapt. Corrad. in Respons. Cas. Conscient. p. 2. quæst. 194. apud quos leguntur rationes, & argumenta pro utraque opinione, quas etiam ego retuli in meo Libello, La Prima età del Mondo cap. 4. Et licet satis probabile sit, non omnibus morientibus Dæmonem in forma visibili apparere, cum plurimi, potissimum timorati viri, ac irreprehensibilis vitæ, absque terrore ullo, seu indicis visionis Dæmonum expirent, loquentes, ac adstantibus pacem, & quietem interiorem suam attestantes; nihilominus infinita propemodum sunt exempla apud Sanctos, ac fide dignos Autores, quibus comprobantur frequentissimæ, exque horribiles Dæmonum apparitiones in extremo vitæ constitutis, quæ passim leguntur apud Surium, & Severum Sulpicium in Vita S. Martini, qui ait (ut etiam habet Breviarium Romanum) quid adstas cruenta bestia? in Vita S. Bernardi in Annalibus Cardinalis Baronii Anno 1048. num. 3. 11. 12. Anno 1058. num. 6. In Select. Penit. Mort. Pauli Aringhi lib. 2. cap. 14. & in alio ejusdem opere Mortes Peccatorum pessima lib. 6. cap. 6. & in Sylva historiali Joan. Bapt. Matthæoli tom. 2. lib. 12. cap. 1. tit. 9. adeo ut negari non possit, quod tanti Patres testantur. & credendum sit, quod Diabolus morituris solet terrifica apparere specie, ut scribit etiam Mart. Dekius Disquisit. Magic. lib. 2. quæst. 28. sect. 3.

Qua-

D E C I S I O CXXX.

A R G U M E N T U M.

Offenditur, quibus rationibus persuadendus sit populus ad servanda jejunia sacra, tūc Quadragesimæ, tūc Vigiliarum de Præcepto?

S U M M A R I U M.

1. *Jejunia quibus motivis populo commendanda?*
2. *Apostoli instituerunt jejunium Quadragesimale.*
3. *Jejunium omni Feria 4. & 6. olim de præcepto.*
4. *Jejunii rigor quoad cibos, & quoad horam apud antiquos.*
5. *Jejunium opus satisfactorium.*
6. *Jejunium dat vitam longam.*
7. *Ulphonis mariti S. Birgittæ jejunia proficua.*
8. *Quadragesimalis jejunii mysterium.*

DICTUM fuit, si Parochi frequenter prædicabunt eidem populo Necessitatem, Utilitatem, ac Excellentiam jejunii, ex sequentibus potissimum considerationibus.

Primò. Quia jejunia, etsi quoad tempus sint de Jure positivo, tamen quoad se sunt de præcepto Juris naturalis. S. Thom. 2. 2. qu. 147. art. 3.

Secundò. Quia jejunia valent ad placandam iram Divinam, & obtinendam Misericordiam, ut de Ninivitis, Daniele, & tribus pueris Babyloniz ostendit Eminentiss. Card. Valerius in sua Rhetorica Eccl. lib. 2. cap. 5.

Tertiò. Quia Redemptor noster jejunavit 40. continuis diebus. Matth. 4. & SS. Apostoli jejunium Quadragesimale instituerunt; Eminentiss. Card. Baron. Anno 57. n. 199. & Eminentiss. Card. de Lauræa In Epitome Can. Verb. Jejunium.

Quartò. Quia in Primitiva Ecclesia fuit maxima observantia Jejuniorum apud omnes fideles; ita ut jejunarent omnes, etiam quarta, & sexta feria, ac Sabbato per totum annum. cap. Jejunia sanè 16. De Consecr. dist. 3. Eminent. Cardin. Baron. Anno 388. num. 81.

Quintò. Et quidem rigorosissimè, idest manducando semel in die, post Vesperas, solos fructus, vel uvas assas tam fenes, quam pueri, cum orationibus, disciplinis, & elemosynis, ut notat Magrius in Hierolexic. Verb. Jejunium, & P. Menochius nelle Stuore Cent. 3. cap. 11. ubi quod hac de causa jejunium vocabatur *Ἰεροφασία*, idest co-mestio rerum siccarum, ut amygdalarum, nucium, ficuum, ut latius dixi in meis Decisionibus de Pœnitentia. Decis. 4. n. 11. & 15. ubi attuli Historias, & exempla.

Sextò. Quia ex jejniis non solum resultat meritum, sed etiam satisfactio penarum pro peccatis juxta illud Joel. 2. Convertimini ad me &c. S. Thom. 2. 2. qu. 147. art. 1. Emin. Card. de Lauræa in 4. senten. tom. 2. disp. 13. n. 186.

Septimò. Quia jejunium sanat corporales infirmitates, capit. Legimus 30. de Cons. dist. 5. & dat vitam longam. Pign. tom. 4. Consult. 43. ubi plura exempla.

Octavò. Quia vitia comprimit, & Dæmones fugat. S. Thom. de quest. 147. art. 1. S. Birgitta in Revelat. lib. 3. cap. 21. & in Revel. Extrav. cap. 52.

Nonò. Quia præponderat in tremendo judicio finali pro obtinenda salvatione æterna. Hinc anima Ulphonis mariti S. Birgittæ, eidem apprens, narrans se esse in Purgatorio, & per quæ

B b

quæ

Quapropter ad adjuvandos agonizantes, tanto in terrore constitutos, debet Parochus adstare, eosque orationibus, ac monitis consolari: nam præsentiam Sacerdotis Satanas timet; ut sex ab hinc circiter annis ego ipse expertus sum, dum Monialis Capuccinæ, ætatis suæ ann. 20. agonizantis animam Deo commendarem; etenim vix cubiculo exiveram, quando ipsa magno emissio ejulatu clamare cepit; auxiliare Pater, auxiliare? & intrò statim reverso, sciscitantique mihi, quid esset? aut quid timeret? ipsa sudans, & algens ait; Dæmonem horribilem, nigerrimam faciem habentem aspexi hujus ad pedes lecti, qui (Vestra Reverentia ingrediente) statim aufugit. Eam enixè rogantem, ne amplius discederem, consolatus fui, ac recitatione Litaniarum, aliisque piis precibus, & Aquæ benedictæ asperusione munivi, actibusque fidei, spei, & charitatis in Deum usque ad ejus transitum, quem eadem die in Domino complevit, nullis amplius perterrita visionibus.

Secunda ratio est, propter quam Parochus agonizantibus adstare debet, quia, etsi Dæmones visibiliter iisdem non appareant, attamen interiori terribiles tentationes suggerere non desunt in illo extremo vitæ, ut animas perdant; scriptum est enim Gen. 3. Tu insidiaberis calcaneo ejus, idest fini vitæ hominis: & Ps. 55. Ipsi calcaneum meum observabunt, quod interpretamur de fine hominis. Unde S. Gregor. 1. Moral. cap. 7. dicit; Hostis noster tunc duriores in fine laqueos tendit, & tantò sollicitius tunc insidiatur, quantum sibi solum remansisse ad decipiendum finem considerat.

Tertia Ratio est Præceptum hujus assistentiæ, quod legitur in Rituali Romano sub Rubric. De Visitatione, & Cura infirmorum: ibi: Parochus imprimis meminisse debet, non postremas esse muneris sui partes, & egrotantium curam habere, & ibi: Omnemque diligentiam in eo ponat, ut in via salutis eos dirigat; atque à diabolicis insidiis salutarium adjumentorum presidio defendat, ac tueatur. Et de modo juvandi Morientes: Ingravescens morbo, Parochus infirmum frequentius visitabit, & ad salutem diligenter juvare non desinet, monebitque, instante periculo se consilium vocari, ut in tempore præstò sit morienti.

Quarta Ratio: quia tale Ministerium non de dignatur Deipara exercere, ac ipsi Angeli Sancti, ut legitur apud Paul. Aring. in Select. Pœnit. Mort. d. lib. 2. cap. 14. & in Vita S. Philippi Nerii Petr. Jacob. Bacius lib. 2. cap. 8.

Quinta Ratio: quia ita exposcit officium veri Pastoris, à quo reddenda est Deo strictissima ratio ovium suarum; quæ si perierint ob negligentiam, inevitabilis erit ultio Divina; juxta illud Ezech. 34. 8. Vivo ego dicit Dominus Deus, quia pro eo, quod facti sunt greges mei in rapinam, & oves meæ in devoracionem omnium bestiarum agri, eò quod non esset Pastor &c. ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum.

Sexta tandem Ratio: quia resultat ex hac paterna, & assidua assistentia agonizantibus magnus amor populorum erga ipsos Parochos, qui propterea enixè diliguntur, venerantur & in existimatione multa habentur; ac amplam autoritatem acquirunt, tūc in corrigendis pravis moribus suæ parocciæ, tūc in exigendis quibuscunque bonis operibus, & actibus devotionis ab eodem populo; ut experientia quotidiana demonstrat. Legatur mea Decis. 74. de Extr. Unct.

Doct. Clericati Tom. II. Lib. IX.